

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1096

Auteur(s) : Robert II des Ablèges, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Gilbert de Sagy, Bayeux (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1228

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Robert II des Ablèges, évêque de Bayeux, cède, à titre viager, au chanoine Gilbert de Sagy, un tenement à Campeaux, à la condition de payer chaque année 30 sous tournois pour l'obit de son père Odon de Sagy, et, à l'évêque, une rente annuelle de 20 sous tournois. Après la mort de Gilbert, la moitié des fruits sera distribuée à l'obit d'Odon ; l'autre moitié au prêtre que le chapitre nommera, à tour de rôle, pour célébrer une messe quotidienne, ou au prêtre désigné par Gilbert lui-même, tant qu'il vivra.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCV, t. 2, p. 27-29.

Texte établi d'après a

Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis præsens scriptum inspecturis, Robertus, Dei gratia Baiocensis episcopus, salutem in vero salutari. Cum ecclesia Baiocensis, Gilleberto de Sagiaco canonico Baiocensi procurante, adepta fuisset quicquid Willelmus Goelon, burgensis de Castro Viræ, possederat vel adquisierat, tenebat vel possidebat, seu tenere, acquirere vel possidere poterat apud Champeaus juxta Soloberam, ex venditione Petri filii quondam Andreae Porpense de Falesia, nos vero, de assensu et voluntate decani et capituli Baiocensis, eidem Gilleberto concessimus totum illud tenementum cum omnibus pertinentiis suis, sicut illud melius et plenius tenuerat vel possederat dictus Petrus, tenendum et possidendum a nobis et successoribus nostris, quamdiu vixerit, sub annua pensione triginta solidorum Turonensium ad unum persolvenda, quoad vixerit, die anniversarii obitus Odonis majoris de Sagiaco, patris sui, canonicis qui intererunt ad dictum anniversarium recolendum. Pro recompensatione autem releviorum et gardarum, nos et successores nostri, singulis annis, ad festum sancti Michaelis, tam per manum ejusdem Gilleberti quam per manum illorum qui post ipsum prædictum tenementum tenebunt, viginti solidos. Turonenses vel æquivalentis monetæ habebimus. Et pro hiis viginti solidis, necnon et pro auxilio exercitus cum ipsum auxilium levare contigerit, licebit nobis et successoribus nostris, tanquam capitalibus dominis feodi, in prænominatum tenementum justiciam exercere. Post decessum vero dicti Gilleberti, medietas fructuum totius illius tenementi distribuetur, secundum consuetudinem ecclesiæ Baiocensis, canonicis et clericis de choro qui intererunt obsequiis in die anniversarii obitus prædicti Odonis, patris sui. Reliqua vero medietas assignabitur sacerdoti qui per dispositionem capituli attornabitur ad celebrandam cotidianam missam cum commendatione et reliquo defunctorum officio in ecclesia Baiocensi pro salute animæ suæ et pro fidelibus defunctis. Verumtamen, si

in vita sua aliquem ad hoc elegerit sacerdotem, ipse sacerdos medietatem illam, quoad vixerit, pacifice possidebit. Quod, ut ratum et stabile, etc. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo vicesimo octavo.